



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Dissidentiaë circa fidem, displicentiæq[ue] ad proximum tentationibus
quomodo resistendum sit: vtq[ue] pia exercitia, nullaq[ue] bona opera ob
quasuis tentationes sint omittenda. Cap. XV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

um blasphemare, non tibi, quia Dei vis promouere honorem. Breuiter dico: Quisquis hic fuerit in te qui hæc loquatur, quæ contra Deum sunt, tu non attrahas tibi, nec ea tibi ascribas, quæcumq; subito aut violenter inciderint, aut quæ sensisti quidem, non tamen ijs animo consensisti, nec placet quæ inciderunt: Haud quaquam enim tibi imputabuntur quæcumq; eiusmodi tibi inuito occurrunt, quia hæc ad ruinam tibi non erunt, sed ad purgationem & ad gloriam. Confutissimum igitur est omnes quidem tentationes contemnendo abijcere, nec earundem suggestionem tanti facere, vt illis respondeatur, siue vt audiantur, admittantur ve ad colloquium mentis, quo suas suasionem proponant. Quapropter dixi contra tentationes vtilissimum esse, non inire pugnam cum illis, aut disputare, ex aduerso inspicere, aut contra pugnare. Tantum enim familiaritatis, tantum ve licentiæ illis non debet admitti, vt ad colloquium recipiantur, siue vt eisdem præbeatur audientia. Neque enim tam diu sustineri debent, vt quid velint aut suadeant, narrent. Sed mox vbi deprehensa fuerint accedere, exufflandæ exhibilandæq; sunt. Nam si ad pugnam colloquium ve eas receperis, difficilius abiges, earundemq; (præcipue quas formidas, vt sunt tentationes blasphemæ, perfidiæ &c.) imagines atq; timorem profundius tibi imprimes. Contra huiusmodi spirituales tentationes pugnare, nihil est aliud quam hominem contra anseres sibilantes, aut contra canes oblatrantes, aut certè contra mulieres pessimas & litigiosas pugnare. Huiusmodi enim non vincuntur, nisi transeundo, tacendo & contemnendo. Si enim contra eos pugnare, eis ve contradicere nisus fueris, nihil ages, quam vt ad maiorem eos prouoces insultum. Porro si nihil timens eos transieris contemptos, tacebunt.

Disputandū non esse cū tentationibus.

Diffidentia circa fidem, dissipientiaque ad proximum tentationibus quomodo resistendum sit: vtq; nulla pia exercitia, nullaque bona opera ob quasuis tentationes sint omittenda.

CAP. XV.

Cum cogitationibus quæ cor tuum nituntur intrare, vt fidei rationem inuenias, vt capias quid post mortem sit futurum, & an vera sit salus in fide nostra, & cætera huiusmodi, contra quæ vel in scripturis, vel in ratione sapientum obiici possunt nonnulla quæ repugnare videntur, tu noli disputare, noli pugnam certamen ve contra illas inire, nec ad hoc niti, quasi lumine rationis ea velis inuestigare: sed omni curiositate, sollicitudine, disquirendi abiecta, dic: Ego credo quod sancta credit Ecclesia. Amplius nolo disputare, nec meum animum super his occupare. Et signa cor tuum erue.

Cogitationibus curiosis circa fidem quæ sit respondendū.

Quæcumq; etiam in scriptura sacra aut fide intelligere nequis, noli super ijs curiosius inuestigare, nec dubitationem admittere, sed omnem ambiguitatem, disputationemq; proscinde, & dic tibi ipsi: Ego nolo scire, sed volo credere. Tendit enim laqueos difficillimos atque inextricabiles, hostis malignus, eis, qui suis ingenijs ea quæ fidei sunt, aut quorum in Ecclesia secreta est

ratio, nituntur intellectu & inuestigatione comprehendere, eorumq; velle reddere rationem. Timor nimius validiorem sæpenumero tentationem, quemadmodum imaginatio fortis casum, facit. Quod enim plus timentur sapius cogitatum, profundius memoriæ imprimitur. Si tentatus contra proximum tuum irasceris aut displicentiam amaritudinemve senseris, contra illas cogitationes tunc ingruentes assume aut te compelle ad affectum charitatis, vt in corde repetas sæpius: Ah charissime frater, frater mi dilecte. Nos ciues vnius patriæ sumus. Nos Dei sumus filij. Nos cohæredes vni sumus Christi, &c. Dic tibi: Tu misera ac ingrata bestia: Nunquid non venerabis amicum & seruum Dei: An iram Dei non metues, si fratrem tuum centuplo te meliorem spreueris aut contristaueris? Si in tentatione aliqua tibi constituto, occurrat ambiguitas perplexa, in qua vtrumuis elegeris, hoc est, sine hoc, siue alterum, æquè tibi periculum imminet, neutrum elige, quamdiu non cogeris eligere, sed iudiciū atque voluntatem tuam hoc modo fige, dicens in corde tuo: *Ego Domine Iesu nihil volo quod tu nolis. Ego respicio, qui quid tibi displicet. Quicquid eligo eligo.* Porro si alterum tibi fuerit eligendum, Prælato aut Confessore consulto, id elige quod ille suaserit, & hoc modo absq; periculo manebis, quia fecisti quod debuisti, puta tuo non credens ingenio, consulens prælatum, illiq; acquiesces.

Exercitia deuotionis solita non esse propter tentatione deterrenda.

Quæ fideliter fit Deo seruandū.

Honorem B. Mariæ impensum non manere iternum.

Nulla debet esse tentatio adeo grauis aut valida, quæ te deiiciat, vt solita deuotionis tuæ exercitia intermittas. Arma enim sunt tua hæc, quibus diaboli tendicula euadere, redireq; ad Deum potes, idè nulla vnquam desperatio ne relinquenda. Nam etsi extra charitatem te esse scires, nullo tamen modo consuetudines tuas bonas, & exercitia solita deseras. Per hæc enim tibi iterū oriri potest lux gratiæ, qua prauitatem erroremq; tuum videas, viuis fierisq; in charitate. Deo autore, & te te applicante. Quanquam te scires damnandum (quod nulli scitu possibile est, ei præsertim qui se non recusat corrigere in his quæ sibi sunt manifesta peccata) nihilo scius Deo seruire deberes, quæ si scires te saluandum, idq; quantum posses diligentissime, atq; fidelissime eiusdem procurando honorem, pro immensa ipsius bonitate, qua tot beneficia tibi, quem ingratum ac pessimum præsciuit, prærogauit, tanto tempore peccantem te iustitiam non damnauit, sed vt amicum fouit: Taceo creationis & passionis eius beneficia. Certè pro ipsius iustitia atq; iudicio æquitate, si te rebellem, contumeliosum & corrigere se nolentem, tanto licet tempore expectatum, tot beneficijs quoq; admonitum, atq; adiutum (vt nulla sit tibi excusandi occasio) damnare vellet, ipsum diligere deberes, quia non ipse, sed tu solus causa tibi fores, tuæ infelicitatis, ipse verò quia iustus est, idè tua obstinatione ad executionem iustitiæ impellitur, vt aliud, quam obstinam damnare atq; incorrigibilem delinquere non possit. Quomodo igitur, vel propter eius iustitiam ipsum non diligeres, quandoquidem totus, bonitas ipsa est? Quamuis nulla (vt dixi) sint exercitia, nullæ consuetudines sanctæ, propter tentationes relinquendæ, quin potius magis tunc frequentandæ, ea tamen quæ ad honorem pijsimæ Mariæ fiunt, potissimum mordicus teneas, nec ad mortem vsque relinquant. Quicquid enim huic virgini misericordiz matri impenditur, non tacetur, non transit irremuneratum, non præterit in oblivionem, sed opportuno tempore fructum operatur. Nunquam le-

gitor vel minimum quid in beatissimæ huius Virginis honorem oblatum, aut factum, in vanum abiisse aut sine fructu periisse. Angelum habes bonum ad custodiam à Deo tibi deputatum, & angelum malum, qui est dæmon turpissimus, crudelissimusq; hostis tuus, ad exercitium. Hi tecum cōtinuè sunt. Diabolus mala suggerit, affectiones excitat prauas, illicitas proponit cogitationes, indefessiq; studio in mortem te præcipitare conatur. Porro Angelus bonus, modo tu illum audire volueris, tibi consulit, bona suggerit, te defendit, adiuvat, instruit & liberat. Quando itaq; tentaris, perpende quis sit is qui te tentat. Nempe inuidiosissimus, pessimus, crudelissimusq; inimicus tuus. Percunctare igitur teipsum, si huic pes. imo diabolo seruire, si te perdere festinãti obedire malueris, atq; cum eodem pauld post stagno ignis infernalis immergi (aliam enim suis non reddit mercedem seruis) an angelo bono, puta vt eius acquiescas monitis, Christum seruenter diligas ac imiteris, atq; pauld post perpetuam cum eodem latitiam possideas? O si hæc benè expenderes, aded te malitia diaboli, eiusq; terribilis præsentia memoria sola terrere deberet: reuerentia verò præsentia angelicæ allicere, ne (vt es) aded fores ad otiosas, vanas, immundasq; cogitationes suscipiendas, pronus. Si ante fores tuos stantem scires hostem cum gladio te quarentem, atq; ad te ingredi, occidereq; te molientem, num illi ostium aperirè? Num ad tui occisionem fores illi referares? Hoc modo carnalibus, malisq; cogitationibus hostis malignus vallatus ad cordis tui ostium pulsat. Si tu illum illasve admiseris interficient animam tuam. Solet diabolus nonnullos à bonis deterere operibus, per tentationem vanæ gloriæ, aut inuidiæ &c. qui diabolo, hoc est, vitij ne consensisse videantur, timore harum passionum inducti, abstinent à bonis operibus. Tu verò haud quaquam ita facias. Sed vbi passionis huiusmodi senseris vitiosas, dic illis: Ite. Propter vos hoc bonum neq; faciam, neq; omitam. Deo enim hic, non vobis seruiam. Quo dicto, in passionis vitiosas quas sentis expue, eaq; cum contemptu abige, & ad virtutis oppositæ affectum te quanto potes studio, exerce. Ei, qui in conflictu est vitiorum, si perplexitas occurrerit, vt duo se offerant, quorum alterum sit necessario eligendum, vtrumq; verò sit peccatum, hoc eligat quod minus est peccatum, si non alia fiat via declinandi. Potest enim benignus Dominus facere vt hoc ita electum, puta ne in altera parte peccatum committatur grauius, propterea non fiat aut sit peccatum, licet fortassè ibi peccatum esse potuit, quo homo in hanc necessitatem, hoc est in perplexitatem hanc, sic scilicet agendi præcedente aliqua culpa sese coniecit. Hoc modo qui pro castitate, pro charitate, aut alia virtute pugnat, quamuis in pugna leuia, puta delectationum subreptiarum vulnera recipiat, cito tamen hæc curantur: quia labor certaminis & amor virtutis quos in pugna non consentiens malo, exhibuit, veniam apud Deum illi impetrabunt, modo ipse doleat ex animo, de quocunq; vulnere, quamuis maximè exiguo. Peccatum enim quantumlibet modicum non remittitur, nisi pro eo doleatur, & nisi damnetur.

Angeli boni
& mali officia circa hominem que.

Opera bona propter vanam gloriam non esse facienda, nec omittenda.

Perplexitate occurrente quid faciatum.